ELOGIUM DIUI AUGUSTINI VMBRA EIUSDEM. TUMULUS NOUÆ DOCTRINÆ. EPITAPHIUM...

Pierre Labbe, Josè Maria Fonseca de Evora

ELOGIVM
DIVI AVGVSTINI
VMBRA EIVSDEM.
TVMVLVS
NOVÆ DOCTRINÆ.
EPITAPHIVM.
ANTITHESES
CORNELII IANSENII
ET DIVI AVGVSTINI.

Authore P. L.

PARISIIS,
Apud FLORENTINVM LAMBERT, in Clauſtro Ieſuitarum.

M. DC. LII.
Cum permiſsione.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. PETRO SEGVIER

GALLIÆ CANCELLARIO.

AMas politiores literas & priuatus & publicus (vir Illustrissime) *eruditum est otium tuum, & negotia publica apud te semper fuere literata: Obsignas amorem tuum beneficiis erga Musas priuatis, & publicis: Cancellarius es doctarum artium, & nunquam hæc apud te sigilla cessant: poscit sigillum & patrocinium tuum Libellus mole exiguus, at rerum majestate magnus: vterque Augustinus verus & falsus, & magna vtriusque volumina intra hunc Libellum sunt; nec Augustinus sine Prospero, nec Prosper sine Augustino esse potest, & vterque totus intra breues paginas est. Corrupit Augustini doctrinam Jansenius, & poëma Prosperi de ingratis parum gratus poëta Gallicus, emendat poëtam Vmbra Augustini, & elogium eiusdem Jansenio tumu-*

lus, & Epitaphium est; nec meretur agnomen Augustini, qui nihil Augustini habet nisi antitheses: mereris hoc nomen, SEGVIERI*; dum proteges Augustini doctrinam, eris* SEGVIERIVS *Augustini, erit Augustinus* SEGVIERII. *Erit*

Magnitudinis tuæ,

Humillimus & obsequentissimus
seruus P. L.

DIVI AVGVSTINI ELOGIVM.

INgenium Augustini nemo totum nouit, quia nemo æquauit:
Ingenij sui limites Augustinus ipse nesciuit:
Didicit Aristotelem sine Magistro,
Vix eum Aristoteles sine Doctore didicisset.
Exhaustis omnibus scientiis adhuc sciendi auidus,
Didicit errores Manichæorum vt haberet quod disceret:
Laudauit eos errores dum nesciuit, refutauit dum didicit;
Et nondum fidei discipulus iam pugnauit pro fide.
Superatâ naturâ diu luctatus est cum gratia,
Expertus est se ab ea non cogi dum diu restitit;
Nec violentus consensus fuit quem negauit dum voluit;
Agnouit tamen sufficientem fuisse gratiam quâ vinci potuit:
Non accusaret moras suas nisi properare potuisset;
Nec properare potuit nisi vires offerret gratia sufficiens, & nondũ vincens.
Vicit tandem gratia efficax aut maior, aut aptior;
Sic delectauit vt suaderet, sic suasit vt non cogeret:
Recusare illam potuit etiam dum admisit;
Admisit illam voluntas libera, sed non sola:
Præuenit Gratia nolentem, & adiuuit volentem.
Incepit Deus sine Augustino, vt vellet Augustinus cum Deo.
Nec meruit Augustinus Gratiam quæ fecit merentem.
Data est immerenti, nec quia bene de Gratia meriturо;
Nemo acrius Gratiæ restitit, nemo fortius pro Gratia stetit;
Mirata discipulum Gratia mutauit in Magistrum,
Docuitque artem vincendi aduersarios, dum aduersarium vicit:
Post eam victoriam nemo de Gratia disseruit nisi verbis Augustini;
Didicit ab Augustino Roma quod iam à Deo didicerat;
Didicit à Roma Augustinus quod iam didicerat à Gratia,
Nec putauit se esse Doctorem Gratiæ nisi esset discipulus Romæ.
Errauit Pelagius dum aliter de Gratia sensit quam Augustinus;
Errat Iansenius dum Augustinum aliter intelligit quam Roma credit.

VMBRA AVGVSTINI
POEMA THEOLOGICVM.

Vmbra Augustini terras irata reuiso
Ius vltura meum, violataque Gratia mecum,
Læsaque libertas mecum redit : vtraque dicet
Doctrinam de vtrâque meam : sciat Orbis oportet
Mentem Augustini ; falsas Iansenius vmbras
Supposuit mundo, verax ego corporis vmbra
Atque animi docta vmbra loquor.

LIBERTAS.

Dic age Libertas quales tibi Gratia dotes
Et quales Natura dedit? Mihi tradidit, inquit,
Imperium Natura suum ; me Gratia captat
Assensus studiosa mei ; Deus ipse futuros
Arbitrij explorat nutus, quid sola voluntas
Eligeret, si sola esset, dextramque iuuantem,
Auxiliumque suum præuisis nutibus aptat,
Et nutus hos ipse facit ; præuertit agenda,
Et mecum peragit ; posset subducere dextram
Ne vellem, totâ non posset cogere dextrâ
Vt quod nolo velim ; nolo quod nolo, voloque
Quod volo ; Reginam fecit qui condidit Author ;
Nec Regina essem si sceptra aliena gubernans
Non essem Regina mei.

Quid videat Deus in voluntate operabundâ.

Non satis in laudem dixi, suspendere possum
Et motus animi, & curas, & gaudia, & ipsum
Arbitrij imperium ; dum sic suspensa quiesco
Tunc operor, pensique expers operosa laboro ;
Et volo tunc aliquid dum nil volo ; scilicet vtor
Arbitrio dum nolo vti, & dum libera cesso
Me dominam tunc esse probo.

Libertas contradictionis.

Plus aliquid dico, possum contraria velle,
Et mortem vitamque sequi; nocet ignibus vnda,
Et nocet ignis aquis, neuter mihi noxius hostis,
Hostis vterque sibi; mendax me sæpe fefellit
Vmbra boni, sæpe vmbra mali, neutra vmbra coëgit
Arbitrium violenta meum; non si omnia sceptra
Promittat Dæmon, non si omnia damna minetur,
Inuitam vis nulla rapit, nolensque, volensque
Sum iuris regina mei; falli Eua volebat,
Et fraudi consensit Adam; si vellet vterque,
Staret vterque horti Dominus, fortunaque mundi
Staret adhuc, serpens terras morderet & Orcum,
Mortalisque satur vitæ succederet astris
Non vnquam moriturus Adam: damnabile pomum
Gustauit Pater, & nati sensêre venenum;
Dum tamen hac escâ victa est humana volantas,
Libertas inuicta stetit, lapsique Parentis
Arbitrium in mediis tenuit sua iura ruinis,
Exul Adam, liberque fuit, miserique Nepotes,
Et reges mansêre sui.
Denique sæpe vocat blandis me Gratia verbis,
Et sæpe illecebris victam trahit ire volentem,
Si vellem nullis traheret me Gratia vinclis,
Et sæpe excussi nexus vt sponte perirem
In damnum generosa meum; sum causa ruinæ
Sola meæ, nec sola tamen sum causa salutis,
Intus agit, spiratque Deus, sequor ipsa vocantem
Non præuerto Deum; sic nobilis Aëris hospes
Ales Apus sola ex patriis delabitur auris,
Descensum natura iuuat, pennæque ministrant,
At reuocare gtadum, & patrio se reddere Cælo
Sola nequit volucris, Zephyrosque expectat & auras,
Supplentemque pedes flatum, remisque repandis
Alarum captat flatus, aurasque iuuantes,
Et reducem Cælo facit ales & aura volatum.
Sic ego non sola alarum virtute resurgo;
Et sola virtute cado.

Libertas contrarieta-tis.

Adamus post lapsu[m] liber, & n[on] liberi.

Gratia all[ic]it volunta-tem non ra-pit.

Auis para-disiaca.

GRATIA VNIVERSIM.

Tu quoque diuinas enarra Gratia dotes,

Et vires describe tuas; Mihi Spiritus inquit
Est Pater, hic gemino postremus origine puncto
Causa efficiens gratiae
Accipit exhaustam Deïtatem, & Numine pleno
Cui spiret similem non inuenit intus Amorem;
Hunc ego fœcundum facio, spiratáque dicor
Gratia, communi quamuis inspirer amore,
Et totus sit causa Deus.

Causa meritoria.
Altera causa mei Christus, meme ille refecit
Dum meruit, meritamque humano reddidit orbi.
Coniugibus Mundi primis, & Regibus orbis
Me Deus aterni pignus donauit amoris,
Pactum Dei cum Adamo.
Hæredesque sui fecit, dum fœdere pacto
Hæredes dedit esse mei; si pacta fideles
Seruassent, proli fueram promissa futuræ
Hæredes factura Deos; peccauit Adamus,
Et grauidâ gestans in libertate futuram
Progeniem, inclusos hoc læsit vulnere natos
Peccatum originis.
Quo Patri nocuit, crimenque vocatur origo,
Et scelus est hominem nasci; miseratus Adamum
Alter Adam læsi reparauit iura Parentis,
Et Verbo carni vnito, carnemque redemit,
Placauitque Deum Deus; huius fœdere pacis
Reddita sum terris, duplexque amissa parenti
Gratia habitualis.
Restituor terris duplex, pars altera nostri
Est habitus, figitque gradum, crescitque merendo,
Hæredemque animum diuino Numine complens
Gratia actualis.
Pene hominem facit esse Deum; pars altera lux est,
Et radius, qui præueniens, comitansque, sequensque
Excitat humanam mentem, attollitque iuuando.

Ac velut exudans imber peruadit hiantem
Terræ vterum, penetratque sinus, siccasque medullas,
Et sterilem complet fœcundo semine vuluam,
Telluremque facit Matrem, si fertilis imbri
Succedat solis radius, qui semen alumnum
Excitet, & vires addens per hiantia claustra
Impellat, trudatque foras; sic Gratia menti
Et calor, & pluuia est, libertatemque parentem
Prole facit diuinâ, & Cæli iura merentem.

Hic

Hic meus in terras reditus; narrare labores,
Et pugnas atque arma placet, victique triumphos
Humani arbitrij, vincit dum vincitur à me,
Dum superat cadit, & geminæ fit causa ruinæ,
Et me dum perimit, mecum perit.

GRATIA SVFFICIENS.

Principiò nulli mortali Gratia desum
Sufficiens, emit toto me sanguine Christus,
Et mundo est satis ille cruor; fons esset auarus
Si flueret paucis, & sufficit omnibus vnda,
Et nulli se lympha negat.

Datur omnibus.

Prima ratio.

Vult omnes seruare Deus, nullique parauit
Pœnas ante scelus, præcessit Olympus Auernum,
Vltoremque Deum miserans Deus; at quis Olympi
Speret iter, tentetque gradum si Gratia desit
Sufficiens, spiransque animos, viresque ministrans,
Et faciens monstransque viam?

Secunda ratio.

Nec iustas homini pœnas Deus inferet vltor,
Quod peccet qui stare nequit; nec iusta iubebit,
Si superent iussa arbitrium, nec Gratia vires
Sufficiat, tendatque manum, & comitetur euntem,
Et iussum moderetur iter. Sic Alitis infans
Fulminei, nondum instructus vibrantibus alis
Prodire ex nido nequit, & pendente cubili,
Ni pater exponat Cœlo, attollatque volantem,
Solisque opponat radiis, nidoque reportet
Infantem, & socias infirmo commodet alas;
Ni faciat sceptro innocuus priuabitur hæres,
Et fiet iactura Patris.

Tertia ratio.

Cōparatio.

Hic meus ille labor libertati addere vires
Vt possit si velle velit, nec me ista grauaret
Cura ministerij, si prompta audire voluntas
Vellet iussa sequi, sed sæpe oblita salutis,
Sæpe memor ridet nutus & verba monentis;
O quoties monui errantem, blandéque prehensam
Restitui, quoties stimulis, frænisque momordi?
At quoties Domino arbitrio frænosque vorauit,
Et mortem crimenque bibit!

Officia gratiæ sufficientis.

Quis numeret quot probra tuli, turpesque repulsas,
Nec tamen abstinui monitis, imitatáque Christum
Morte suâ complexum omnes, nullique negantem
Et vitæ & mortis meritum? sic omnibus ipsa
Auxilium viresque nouas, inspiro, libensque
Tot mortes quot probra fero.

Christus pro omnibus mortuus.

GRATIA EFFICAX.

At semper virides effectrix Gratia lauros,
Et palmas inuicta tuli, nunquam obstitit hostis,
Et semper potuit, sua vulnera læsus amauit,
Et lædi voluit, poterat si vincere vellet,
Effeci vt vinci mallet, vicique volentem.
Quas autem insidias, cassesque, hamosque tetendi
Arbitrio vt falli vellet, neque falleret hamum
Quem semper nudum exposui, ne cæca voluntas
Eligeret quod non videt, affectúque coacto
Libertas, & amor cæco raperetur amore,
Et vellet quod nollet amans.

Industrix Gratiæ efficacis.

Propterea exploro nutus, flexusque, recessusque
Humani arbitrij, quid amet, quid vellet amare,
Quid cupiat dum nil cupit, affectasque futuros
Aspicio monstrante Deo, & pendentia vota,
Et libertatem volituram reddo volentem,
Dum præeo, nutumque sequor, nec cogitur ire
Libertas quæ sponte venit, nec lactea verba,
Et molles aditus, & congrua tempora fandi
Arbitrium cogunt, præuidi pondera, nutusque
Et vacuos nudosque sinus, & amabile semen
Iniicio, quo sponte suâ grauidata voluntas
Communes mecum fœtus parit; ac velut arcem
Prouidus explorat ductor, quâ parte struendus
Agger erit, quâ parte eludet verbera murus,
Admittetue globos, vbi subterranea fossa
Puluereum excipiet semen, quo vulnere flammæ
Erumpent, fractasque vomant ad sydera turres;
Plura quoque explorat ductor, curâque sagaci
Ante capit capiendam arcem; sic Gratia victrix
Arbitrij nutus, atque hoc discrimine capto,
Obsideo volituram arcem, expugnoque volentem.

Non infert necessitatem.

Comparatio

Non tales Salomon artes describit amandi,
Nec tales sponsa & sponsus meditantur amores:
Has ego dictaui insidias, & cantica scripsi,
Et noster cantatur amor.

Canticum gratiæ.

VMBRA

Concordia gratiæ & liberi arbitrij.

Hæc ego de vobis sensi, & concordia vestri
Vna mihi doctrina fuit, gerit vtraque sceptrum,
Vtrique imperium seruaui, & iura coronæ,
Et fines vtrique suos, nec Gratia victrix
Arbitrij regnum minuit, nec victa voluntas
Imperij iura amittit, communibus armis
Vincitis, & palmam victrix & victa meretur;
O bellum superis dignum! ô concordia felix!
Et gemini pugnant hostes, & vterque triumphat,
Et palmam superatus habet; nec Gratia tantùm
Efficiens addit robur, dextramque iuuantem,
Ipsa etiam vires inspirat, & arma ministrat
Gratia sufficiens, possetque adiuta voluntas
Vincere si vinci vellet; nec defuit Euæ
Sufficiens virtus, ementiti ora reuelans
Serpentis, fictosque sonos, & callida verba,
Et poterat pomum ridere, deosque futuros,
Et victrix Diuæ instar erat, tentauit Adamum
Promissa in pomo deïtas, & Gratia fraudes
Explicuit, virusque latens, sed fœmina vicit,
Et peior serpente fuit; sic Gratia semper
Efficiens vincit, sic semper vincere posset
Gratia sufficiens; quod semper fertilis illa,
Hæc semper sterilis, sterilem facit vna voluntas,
Fœcundam non vna facit.
Hæc ego dum docui, quis nunc Iansenius audet
Doctrinam violare meam, cur rumpere nomen,
Partirique fidem? scripsi quod Roma probauit,
Et damno quod Roma negat, cur quærit amicum

Concordia.

Vtraque gratia dat vires ad agendum.

Cur gratia sufficiens careat effectu.

Ypra Augustinum, si Roma opponitur Ypra?
Aut Ypram nisi Roma probat, fraus ista, dolusque est,
Velle Augustinum Authorem ne sentiat hostem.
Quid mihi cum monstris fidei, qui monstra subegi
Antiqua, & monstris indixi bella futuris,
Venturosque hostes vici præsentibus armis,
Vincendique artem docui, cessate Lutheri,
Caluini, Bezæque noui prætexere nomen
Doctrinamque meam, nec diligit hæresin vmbra,
Atque vmbram timet illa meam; dic Gratia victrix,
Tu quoque Libertas, an verum dixerit Vmbra?

GRATIA ET LIBERTAS.

Dixisti quæ nunc oculis sine nube beatis
In Verbo splendere vides, speculumque tueris,
Monstrantémque Deum speculum.

TVMVLVS NOVÆ DOCTRINÆ.

SAt vixit quæ viuere nunquam debuit Noua Doctrina; meretur Tumulum quæ cunas non meruit; fallor nec tumulo digna est cùius vix superest cinis qui tegi possit: fabula est dum moritur quæ dum vixit somnium fuit; mentita est, fefellit, illusit; tamdiu vixit quamdiu mentiri potuit; & nunc dum cessat fallere cessat esse.

Volitauit aliquandiu per ora indoctorum virorum, & doctarũ mulierũ, rapuit illos nouitas, & istas leuitas; fefellit omnes nomen Augustini, etiã falsi; nemo sub eo Magistro errare timuit cuius ipsũ etiã nomen credebatur expers erroris; fecit fidem Augustinus etiã dum fefellit, placuit sub eo nomine falsitas sub quo displicere debuerat.

Post aliquas admirationes vocata ad examen Noua Doctrina, deprehensa est dehonestare Naturam cum iniuriâ Creatoris, dedecorare Gratiam cum opprobrio Seruatoris, corrumpere Libertatem cum detrimento hominis, excusare peccatum necessitate peccandi, extinguere amorem Virtutis, difficultate meriti, reddere Christum omnibus odiosum, dum negat pro omnibus mortuum.

Hæc erant sex fundamenta nouæ doctrinæ; ac primum quidem fundamentum quàm parum solidum, non potuisse hominem creari in statu naturæ puræ, & excidisse libertate in statu naturæ lapsæ, quâ præstabat in statu naturæ integræ. At hæc quam inania! potuit certè Deus creare hominem cum naturâ purâ, & sine gratiâ, si hæc supponit hominem & non facit, accepisset in eo statu naturam humanam non diuinam, fuisset sine gratiâ nec tamen ingratus, fuisset purus, nec tamen malus, fuisset cum naturâ purâ liber ad bonum, qui cum naturâ sanâ liber fuit ad malum; nec tamen amisit liberum arbitrium dum cecidit, amisit priuilegia gratiæ non dotes naturæ, retinuit libertatem dum retinuit hominem; rediit ad naturam puram cui addidit culpam, accepisset illam bonam purus, corrupit illam lapsus; stetit tamen homo liber sed miser, mansit seruus peccati & dominus sui.

Nec alterum fundamentum solidius; nullam dari gratiam sufficientem naturæ lapsæ, quæ plurima dabatur naturæ integræ; omnem gratiam esse effectricem, atque omnem inferre necessitatem: at hæc quàm iniuriosa Gratiæ & naturæ! Clamat gratiam suffi-

cientem omnis Scriptura, confirmat illam omnis Authoritas, implorat illam omnis necessitas, emit illam omnibus Christus, dat illam omnibus misericors Deus, nec largitur inutilem si possum reddere effectricem. Audi Augustinum, præsto est semper gratia quæ nunquam deficit nisi prius expulsa fuerit, continuò inspirat si est qui recipiat: Audi eundem, de eo quod non accepit nemo reus est, ex eo verò quod non facit si debet reus est, debet autem si accepit & voluntatem liberam, & *sufficientissimam facultatem*: nec Gratia effectrix imponit necessitatem voluntati, reueretur libertatem hominis quasi imaginem Dei; explorat illam ne illam lædat, agit sine me vt mecum agat; imprimit motus necessarios, vt obtineat liberos; sic allicit arbitrium vt non inuadat; sic petit assensum, vt non eripiat, sic blanditur suauiter vt non dominetur tyrannicè; sic præuenit voluntatē vt attrahat, sic oblectat vt vincat, sic vincit vt illam non cogat; Audi Augustinū, vis scire quomodo trahat Pater? trahit oblectando voluntatem, non imponendo necessitatem.

L. de verâ & falsa pœnit.

Lib. 3. de lib. arb. c. 16.

L. de prædest. Sanct.

At tertium fundamentum quàm funestum libertati, dum illam necessariò destruit admixtione necessitatis? ruit enimuero libertas si illam antecedit necessitas; fecit Deus voluntatem dominam sui, dum fecit liberam, at non erit domina sui, si necessariò agit; eligere potest aquam si velit, aut ignem si malit, at nemo eligit quod necessariò diligit; elicere potest actus suos aut suspendere; at nemo suspendere potest quod necessariò exhibet; plus aliquid dicit libertas quàm voluntas; beati voluntariè Deum amant non liberè; stare potest necessitas cum voluntate non cum libertate. Audi Augustinum, sed cum potestas datur, non vtique necessitas imponitur, vnde cum Dauid Saülem posset occidere, maluit parcere quam ferire.

L. de spir. & lit. c. 31.

Peccat in quarto fundamento Iansenius, dum ait peccatum posse esse necessarium: non peccasset Iansenius, si id necessariò dixisset, peccauit dum dixit liberè; nemo mentiri necessariò potest, idcirco enim aliquis mentitur, quia supprimit verum sensum, & falsum exprimit; At nunquam lingua menti dissentiret, si illam mens necessariò abriperet; nec mendacium tantùm, sed omne peccatum adeo liberum esse debet ex Augustino, vt nullomodo sit peccatū nisi sit liberum: Nemo necessitate peccat si excipias peccatum originis, quod tamen in Liberis non esset peccatum, nisi in Parente fuisset liberum; Quoad cæteras culpas nemo apud Deum reus est nisi volens; nemo de eo damnatur quod vitare non potest;

Lib. de vera relig.

iniquus esset iustissimus Deus si puniret necessitate peccantem.

Qui peccato viam aperuit dum necessarium fecit, idem vt virtutem reddat exosam,facit imperuiam; negat vllum opus esse bonum nisi fiat propter Deum gratis & purè dilectum, ô hominem exquisitæ puritatis! negat vllum florem esse pulchrum nisi sit lilium, negat vllum metallum esse verum nisi sit aurum, negat vllam stellam esse spectabilem præter solem: Hallucinaris Ianseni, eximia virtus est Charitas sed non sola, pretiosi sunt actus Charitatis sed non soli; Et fides, & spes, & religio, & fortitudo, & temperantia, & justitia virtutes sunt, licet inferiores Charitate: Alioqui peccauit Abraham dum credidit, Moses dum sperauit, Melchisedech dum panem & vinum obtulit, Ioseph dum abstinens fuit, Dauid dum fortiter vicit, Salomon dum iustitiam exercuit: Imo & laudem suam merentur Virtutes purè morales & nondum diuinæ, laudauit Augustinus in Romanis virtutes humanas & nondum Christianas.

At sextum fundamentū quàm odiosum, dum ait Deū reprobare homines ante demerita, & Christum paucorum esse Seruatorem non omniū! Quis enim illum amet à quo putat electum se ad pœnas, deputatum ad supplicia, reprobatum nondum reum, nec creatum alium ob finem nisi vt furoris diuini æterna satietas fiat: Et quis eum Seruatorem non oderit qui assumpsit humanam naturam & neglexit meam, qui pro aliis vixit & me exclusit, qui diuisit paucis sanguinem suum, & nullam partem pretij infiniti reseruauit mihi? O doctrinam ipsis etiam auribus odiosam! ingenerat hæc opinio neglectum salutis, quid enim superest nisi vt negligat salutem, qui desperat Seruatorem?

Hæc ferè sunt fundamenta nouæ Doctrinæ, atque hæc omnia prætexuntur nomine Augustini, vt credulos animos fallat maiestas Augustini, quos non fefellisset authoritas Iansenij; latet sub eo nomine nouus Doctor quasi sub annulo Gygis, videt & nō videtur, sentitur & nescitur, lædit & non læditur, & fuit tēpus cum eruditi homines veriti sunt damnare Iansenium ne accusarent Augustinū.

Denique fracto annulo Gygis apparuit velum Augustini, & vultus Iansenij, nihil horridius eo vultu dum aspectus est solus; nihil habet Augustini nisi nomen, nec tamen misceri debuerunt antitheta nomina, monstrum facit qui diuersa coniungit: placet alterum alteri opponere; miraberis Antitheses vtriusque, & dices Iansenium non esse Echonem Augustini dum opposita dicit; appellarem geminos polos si vtrumque communis axis coniungeret, dice-

rem Ianſeniũ Antipodem Auguſtini niſi Auguſtinus negaret Antipodes; quod affirmat Ianſenius, hoc negat Auguſtinus, aut non intellexit Magiſtrum indoctus diſcipulus, aut corrupit ingratus.

Repudiata ab Auguſtino noua Doctrina languere paulatim & mori cœpit; ac velut Iris admirationem habet dum illam ſol aſpicit, at ſi ſol ceſſat aſpicere, ceſſat eſſe, & quæ ante aſpectum vapor erat poſt aſpectum fit nebula; ſic noua Doctrina ſub Auguſtini nomine olim ſpectabilis, ab Auguſtino deſpecta euaneſcit, & quæ mendacium erat, fit fabula: Et nunc accuſant illam Illuſtriſſimi Præſules, damnant eruditæ Academiæ, execrantur religioſi Ordines; ſi qui eam adhuc priuatim retinent, retinentur ipſi erroris pudore non amore doctrinæ, & ne videantur erraſſe adhuc errant.

Huic ego moribundæ Doctrinæ Tumulum pono, & Epitaphium.

STA VIATOR
VBI STETIT IANSENIVS.

Hic iacet noua Doctrina,
Idcirco falſa quia de Deo noua,
Deus ipſe eſſet falſus
Si poſſet eſſe nouus.
De naturâ purâ minus ſanè,
De naturâ ſanâ minus purè,
De lapsâ minus rectè ſenſit.
Poſt calumnias Naturæ non pepercit Gratiæ,
Vt neget Gratiam ſufficientem fingit inutilem,
Vt deſtruat efficacem facit crudelem.
Vt euertat liberum arbitrium facit captiuum,
Vt corrumpat bona opera, corrumpit merita,
Vt excuſet peccatum facit neceſſarium,
Vt reddat Chriſtum odioſum negat pro omnibus mortuum.

ABI VIATOR.

Et ſi amas Auguſtinum, fuge Ianſenium,
Non eſt Auguſtinus qui nihil habet auguſtum.